An. et vol. CI 6 Februarii 2009 N. 2

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

*Directio:* Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

# ACTA BENEDICTI PP. XVI

## CONSTITUTIO APOSTOLICA

### RUTANA

**In Burundia nova conditur diocesis Rutana.**

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius provehendam aeternam salutem Dominici gregis in Burundia eiusque regimini efficacius consulendum petitum est nuper ut eadem in Natione nova constitueretur dioecesis. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Pauli Richardi Gallagher, Archiepiscopi titulo Hodelmensis atque in Burundia Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesibus Bururiensi et Ruyigiensi separamus territorium civilium regionum, quae patrio sermone nuncupantur Rutana, Kayogoro et Muhwea; ex eoque novam condimus dioecesim *Rutanam*, quam metropolitanae Ecclesiae Kitegaënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Rutana

atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Ioseph dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Paulus Richardus Gallagher, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc quidem Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo septimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quarto.

✠ Tharsicius card. Bertone
*Secretarius Status*

Ivan card. Dias
*Congr. pro Gentium Evangelizatione Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 102.991*

# LITTERAE APOSTOLICAE

## I

**Venerabilibus Servis Dei Liberio Gonzáles Nombela, presbytero, et XII Sociis ex clero Archidioecesis Toletanae Beatorum martyrum honores decernuntur.**

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. – « Quia eris testis illi ad omnes homines eorum » (*Act* 22, 15).

Venerabiles Servi Dei Liberius González Nombela et XII Socii, inter quos unus fuit subdiaconus XXII annos natus, ceteri autem presbyteri ex clero Archidioecesis Toletanae, fidem testificati sunt vitae suae oblatione. Cum enim annis MCMXXXVI-MCMXXXIX in Hispania horribile grassaretur bellum civile, ipsi interfici maluerunt, ne fidelitatis coniunctionem negarent cum Domino et cum sancta catholica Ecclesia. Interempti sunt anno MCMXXXVI diversis in locis Archidioecesis Toletanae.

Ipsi sunt:

1. Liberius González Nombela, presbyter. Natus est die XXX mensis Decembris anno MDCCCXCV in pago *Santa Ana de Pusa*. Die XVIII mensis Augusti necatus est.

2. Franciscus López-Gasco Fernández-Largo, presbyter. Natus est die IV mensis Octobris anno MDCCCLXXXVIII in pago *Villacañas*. Die XIX mensis Augusti necatus est.

3. Michaël Beato Sánchez, presbyter. Natus est die X mensis Aprilis anno MCMXI in pago *La Villa de Don Fadrique*. Die VIII mensis Septembris necatus est.

4. Bartholomaeus Rodríguez Soria, presbyter. Natus est die VII mensis Septembris anno MDCCCXCIV in pago *Rípèar*. Die XXIX mensis Iulii necatus est.

5. Mamertus Carchano Carchano, presbyter. Natus est die XXI mensis Iulii anno MDCCCLXXIX in pago *Elche de la Sierra*. Die VIII mensis Septembris necatus est.

6. Agricola Rodríguez García de los Huertos, presbyter. Natus est die XVIII mensis Martii anno MDCCCXCVI in urbe *Consuegra*. Die XXI mensis Iulii necatus est.

7. Saturninus Ortega Montealegre, presbyter. Natus est die XXIX mensis Novembris anno MDCCCLXVI in pago *Brihuega*. Inter diebus V et VI mensis Augusti necatus est.

8. Dominicus Sánchez Lázaro, presbyter. Natus est die IV mensis Augusti anno MDCCCLX in pago *Puebla de Montalbán*. Die XII mensis Augusti necatus est.

9. Ioachimus de la Madrid Arespacochaga, presbyter. Natus est die VI mensis Novembris anno MDCCCLX in pago *Bellver*. Die I mensis Augusti necatus est.

10. Iustinus Alarcón Vera, presbyter. Natus est die I mensis Augusti anno MDCCCLXXXV in pago *Fuensalida*. Die I mensis Augusti necatus est.

11. Iosephus Polo Benito, presbyter. Natus est die XXVII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXIX in urbe Salamanca. Die XXIV mensis Augusti necatus est.

12. Franciscus Maqueda López, subdiaconus. Natus est die X mensis Augusti anno MCMXIV in pago *Villacañas*. Die XII mensis Septembris necatus est.

13. Richardus Pla Espí, presbyter. Natus est die XII mensis Decembris anno MDCCCXCVIII in pago *Agullent*. Die XXX mensis Iulii necatus est.

Populus Dei universos hos Dei Servos fidei consideravit martyres. Huiusmodi fama augescens in annos permovit Eminentissimum Dominum Henricum S.R.E. Cardinalem Pla y Deniel, Archiepiscopum Toletanum, ut anno MCMLXIII Causam incoharet beatificationis seu declarationis martyrii. Expletis inde omnibus iure statutis, Nos Ipsi die XXVIII mensis Aprilis anno MMVI promulgationem fieri iussimus Decreti de martyrio, ac proinde statuimus sollemnem ritum eorum beatificationis die XXVIII mensis Octobris anni MMVII celebratum iri.

Hodie igitur Romae, in Foro ante Basilicam Sancti Petri, ingenti adstante turba ex Hispania aliisve nationibus catholicorum Pastorum et Christifidelium, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Liberium González Nombela, presbyterum, et XII Socios ex clero Archidioecesis Toletanae.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii

S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeritensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Ioannis Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Socii et Sociae;

Bernardus Fábrega Julià, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici;

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero Archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunzá Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arriola Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

*De mandato Summi Pontificis*
THARSICIUS card. BERTONE
*Secretarius Status*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 94.105*

## II

**Venerabilibus Servis Dei Caelestino Iosepho Alonso Villar, presbytero professo ex Ordine Fratrum Praedicatorum, et IX Sociis eiusdem Ordinis Beatorum martyrum honores decernuntur.**

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. – « Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te » (*Ps* 33, 22).

Venerabiles Servi Dei Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii solum in Domino speraverunt atque, divina roborati gratia, fidem in eum testati sunt etiam inter vexationes. Cum enim persecutio contra religionem in Hispania grassaretur annis MCMXXXVI-MCMXXXIX, ipsi mori maluerunt ne Christum negarent, itaque martyrii palmam sunt consecuti. Illi diversas ad communitates Ordinis Fratrum Praedicatorum pertinebant.

Ipsi sunt:

*a*) Ex coetu loci *Navelgas*. Apprehensi sunt a seditiosis militibus mense Augusto anni MCMXXXVI et occisi inter dies XVII et XVIII huius mensis.

1. Caelestinus Iosephus Alonso Villar, presbyter. Natus est die XV mensis Iunii anno MDCCCLXII in paroecia *Margolles*, Archidioecesis et provinciae Ovetensis. Professionem religiosam nuncupavit anno MDCCCLXXXII et presbyter est ordinatus anno MDCCCLXXXVI. Docuit apud collegium Vergarense (Guipúzcoa) et functus est actuose ac proficienter variis muneribus suo in Ordine. Anno MCMXXXIII nominatus est Superior domus in *Navelgas* ibique morabatur cum bellum civile exarsit.

2. Iacobus Franco Mayo, presbyter. Natus est die XXVIII mensis Martii anno MCMV in *Santa María del Páramo*, dioecesis Legionensis. Nuncupatis votis religiosis anno MCMXXI, sacerdotio est actus anno MCMXXX. Deinde destinatus est ad domum in *Navelgas*, ubi munere professoris fungebatur atque sacellum publicum collegii curabat.

3. Gregorius Díez Pérez, presbyter. Natus est die IX mensis Maii anno MCMX in *Gozón de Ucieza*, dioecesis et provinciae Palentinae. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMXXVII et presbyteralem ordinationem recepit anno MCMXXXIV. Professor fuit ac tutor alumnorum scholae apostolicae.

4. Abilius Sáiz López, religiosus. Natus est die II mensis Februarii anno MDCCCXCIV in *Montejo de Brida*, dioecesis et provinciae Burgensis. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMXXXI. Deinde missus est ad *Navelgas*, ubi munere coqui fungebatur.

*b*) Ex coetu oppidi *Corias*. In carcerem coniecti sunt primis diebus mensis Augusti anni MCMXXXVI. Tres primi occisi sunt die XXXI huius mensis, ceteri duo die XX insequentis mensis Septembris.

5. Michaël Menéndez García, presbyter. Natus est die XXIX mensis Iunii anno MDCCCLXXXV in *San Julián de Quintana*, provinciae Asturicae. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMII et presbyteralem ordinationem recepit anno MCMIX. Explevit officia docentis, magistri novitiorum et rectoris. Destinatus est ad *Corias* ut in schola apostolica doceret.

6. Iosephus Maria Palacio Montes, presbyter. Natus est die IX mensis Novembris anno MCMI in *Bimenes*, provinciae Asturicae. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMXVII et presbyteralem ordinationem recepit anno MCMXXV. Professor fuit et cooperator magistri novitiorum.

7. Isidorus Ordóñez Díez, presbyter. Natus est die XV mensis Maii anno MCMIX in *Campohermoso*, dioecesis et provinciae Legionensis. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMXXVI et presbyteralem ordinationem recepit anno MCMXXXII. Deinde destinatus est ad conventum oppidi *Corias*, ubi munere professoris fungebatur.

8. Christophorus Iturriaga-Echevarría, religiosus. Natus est die XI mensis Iulii anno MCMXV in *Abadiano*, provinciae Cantabricae. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMXXXIV ac proinde missus est ad conventum oppidi *Corias*, in quo variis muneribus fungebatur.

9. Petrus Vega Ponce, novitius. Natus est die XXV mensis Iulii anno MCMII in *Mayorga*, provinciae Vallisoletanae. Vestem religiosam Dominicanorum induit anno MCMXXXV. Pertulit martyrium antequam posset professionem nuncupare.

*c*) Sodalis communitatis oppidi *La Felguera*.

10. Iosephus Maria Laguía Puerto, religiosus. Natus est die XII mensis Martii anno MDCCCLXXXVIII in *Albarracin*, prope Terulium. Professionem religiosam nuncupavit anno MCMIX. Destinatus ad conventum loci *Las Caldas*, actuose varia explevit officia. Demum missus est in domum loci *La Felguera*. Cum exardesceret persecutio, confugere coactus est in quandam domum amicorum. A seditiosis militibus arreptus est atque occisus primis diebus mensis Septembris anni MCMXXXVII.

Populus Dei universos eos veros fidei martyres consideravit. Huiusmodi per annos confirmata fama permovit Archiepiscopum Ovetensem ut incohare Causam beatificationis seu declarationis martyrii, per Processus Ordinarii celebrationem factam annis MCMLVIII-MCMLXI. Peractis rite omnibus iure statutis, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die XXV mensis Maii anno MMIV, et Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die XVII mensis Ianuarii anno MMVI, agnoverunt horum Venerabilium Servorum Dei verum martyrium. Deinde Nos Ipsi die XXVI mensis Iunii anno MMVI praecepimus ut promulgaretur Decretum de martyrio, ac proinde statuimus ut sollemnis ritus eorum beatificationis Romae die XXVIII mensis Octobris anni MMVII celebraretur.

Hodie igitur Romae, in Foro ante Basilicam Sancti Petri, ingenti adstante turba ex Hispania aliisve nationibus catholicorum Pastorum et Christifidelium, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Con-

gregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Caelestinum Iosephum Alonso Villar, presbyterum professum ex Ordine Fratrum Praedicatorum, et IX Socios eiusdem Ordinis sodales.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeritensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Iosephi Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Socii et Sociae;

Bernardus Fábrega Julià, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici;

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero Archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religious professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunza Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arriola Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Persuasum autem habemus hos beatos, magis quam Verbi Dei praedicatione, ad catholicam fidem propagandam ac tuendam exemplo intrepidae fidelisque professionis usque ad sanguinis sui effusionem plurimum contulisse, qui etiam nunc singulari hoc testimonio suaque apud Deum intercessione religiosis viris et mulieribus atque cunctis christifidelibus magnopere auxiliantur.

Quod autem his Litteris Nostris decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

*De mandato Summi Pontificis*
THARSICIUS card. BERTONE
*Secretarius Status*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 94.237*

## III

**Venerabilibus Servis Dei Simoni Reynés Solivellas, presbytero professo ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae, eiusque tribus Sociis ex eadem Congregatione, ac Catharinae Caldés Socías et Michaëlae Rullán Ribot, religiosis ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, necnon Prudentiae Canyelles y Ginestà viduae, Beatorum martyrum honores decernuntur.**

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam – « Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius, quod faciant » (*Lc* 12, 4).

Venerabiles Servi Dei Simon Reynés Solivellas eiusque V Socii, necnon Prudentia Canyelles y Ginestà consociati sunt in martyrio pro catholica fide. Qui viri sunt et mulieres, presbyteri ac religiosi, quidam iuvenes, interfecti eo quod fidem sunt testificati aut quia cum amore quosdam exceperunt qui e coenobio vi expulsi erant bello civili in Hispania saeviente anno MCMXXXVI. Misericordia quam in vita exercuerunt fructus attulit Ecclesiae Barcinonensi et plurimis qui, quamvis mortem eorum impedire non possent, comitati sunt eos fide sua animoque solidali. Hi martyres sunt:

1. Simon Reynés Solivellas, presbyter professus ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae. Natus est die XXIII mensis Ianuarii anno MCMI in *Manacor*. Undecim annos natus nomen dedit choro ecclesiae Cathedralis. Congregationem Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae ingressus, novitiatum fecit, ac deinde sollemnem professionem religiosam nuncupavit die II mensis Ianuarii anno MCMXXV; die XXI mensis Novembris eodem anno presbyter est ordinatus. Muneribus fungebatur assistentis magistri novitiorum, professoris et cappellani. Barcinonam missus, ibi occisus est die XXIII mensis Iulii.

2. Michaël Pons Ramis, presbyter professus ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae. Natus die VIII mensis Iulii anno MCMVII in loco *Llubí*, occisus est die XXIII mensis Iulii.

3. Franciscus Mayol Oliver, religiosus coadiutor ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae. Natus die XXXI mensis Maii anno MDCCCLXXI in *Vilafranca de Bonany*, occisus est die XXIII mensis Iulii.

4. Paulus Noguera Trias, religiosus ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae. Natus die XXIV mensis Novembris anno MCMXVI in *Sóller*, occisus est die XXIII mensis Iulii, una cum duabus religiosis ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, quae sunt:

5. Soror Catharina Caldés Socías, F.H.M., nata die IX mensis Iulii anno MDCCCXCIX in loco *La Pobla*, sollemnia vota nuncupavit anno MCMXXV, et occisa est die XXIV mensis Iulii.

6. Soror Michaëla Rullán Ribot, F.H.M., nata die XXIV mensis Novembris anno MCMIII in loco *Petra*, sollemnia vota nuncupavit anno MCMXXXV, et occisa est die XXIII mensis Iulii.

7. Prudentia Canyelles y Ginestà, vidua. Nata est die V mensis Augusti anno MDCCCLXXXIV in loco *St. Celoni*. Ipsa refugium praestitit in domo sua Venerabilibus Servis Dei Simoni Reynés Solivellas, Michaëli Pons Ramis et

Francisco Mayol Oliver, quapropter suam ob christianam hospitalitatem occisa est die XXIII mensis Iulii.

Populus Dei omnes hos Dei Servos fidei consideravit martyres. Huiusmodi fama augescens in annos permovit Archiepiscopum Barcinonesem ut Causam instrueret beatificationis seu declarationis martyrii, per Processum Ordinarium Informativum annis MCMLII-MCMLXVIIIcelebratum, qui rite approbatus est die XX mensis Novembris anno MCMXCII. Inde, expletis omnibus de iure servandis, Nos Ipsi die XXVI mensis Iunii anno MMVI decrevimus ut promulgaretur Decretum super martyrio, ac demum statuimus ut sollemnis ritus eorum beatificationis die XXVIII mensis Octobris anni MMVII celebraretur.

Hodie igitur Romae, in Foro ante Basilicam Sancti Petri, ingenti adstante turba ex Hispania aliisve nationibus catholicorum Pastorum et Christifidelium, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Simonem Reynés Solivellas, presbyterum, eiusque III Socios, professos ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae, atque Catharinam Caldés Socías et Michaëlam Rullán Ribot, religiosas ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, necnon Prudentiam Canyelles y Ginestà, viduam.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeritensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Iosephi Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Socii et Sociae;

Bernardus Fábrega Juliá, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici;

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero Archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunza Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregations Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arrida Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nihil sane dubitamus horum beatorum exemplum intrepidae fidei professionis multum prodesse Hispanicae dilectae nationis pastoribus, religiosis viris et mulieribus atque cunctis christifidelibus ut fidem suam catholicam cotidie integram servent et vivae caritatis profiteantur operibus.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

*De mandato Summi Pontificis*
THARSICIUS card. BERTONE
*Secretarius Status*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 94.321*

## IV

**Venerabilibus Servis Dei Martyribus Ovidio Bertrando et IV Sociis, Fratribus Scholarum Christianarum, nec non Presbytero dioecesano Iosepho Mariae Cánovas Martínez, Beatorum honores decernuntur.**

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mihi enim vivere Christus est et mori lucrum » (*Philp* 1, 21).

Civili saeviente bello in Hispania annis MCMXXXVI-MCMXXXIX, religiosae in christifideles illatae sunt insectationes, idcirco propter fidem martyrio occubuerunt Servi Dei Ovidius Bertrandus et quattuor socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, nec non presbyter Iosephus Maria Cánovas Martínez, eiusdem Instituti cappellanus. Qui enim, Verbo Dei plene fideliterque respondentes ne Christum negarent nec proprium ius ad Ecclesiam pertinendi, summa animi pietate ac serenitate persecutionem oppetiverunt et carcerem et martyrium, persecutoribus ignoscentes et immo pro illis orantes ipsa in mortis hora. Etenim quinque religiosi et presbyter mane diei XVIII mensis Novembris anno MCMXXXVI a seditiosis illius loci, feroci odio et crudeli simultate accensis, manuballista sunt interempti in oppido *Lorca* prope sulphuris fodinas vulgo appellatas « Coto de León », quamvis ipsum Tribunal, quod eos iudicaverat, eosdem e carcere eripiendos decreverat.

Ecce quinque religiosi sodales Instituti Fratrum Scholarum Christianarum:

1. Ovidius Bertrandus, religiosus, in saeculo Stephanus Anuncibay Letona. Natus est in oppido *Mijancas*, ex provincia Alabensi et dioecesi Victoriensi, die XXVI mensis Decembris anno MDCCCXCII. Novitiatum ingressus est die XXX mensis Octobris anno MCMX et prima annua vota die XXV mensis Iulii anno MCMXII et perpetua die XXIII mensis Iulii MCMXXI emisit. Praeceptor exstitit apud varia Instituta; postea, anno MCMXXXV ad oppidum *Lorca* missus est ut doceret in Collegio Sancti Ioseph.

2. Hermenegildus Laurentius, religiosus, in saeculo Modestus Sáez Manzanares. Ortum habuit in oppido *Revilla del Campo*, ex provincia et Archidioecesi Burgensi, die XXX mensis Iulii anno MCMIII. Novitiatum inter Fratres Scholarum Christianarum die VII mensis Septembris anno MCMXIX incohavit. Temporariam professionem die IX mensis Iulii anno MCMXXI et perpetuam die XXVI mensis Augusti anno MCMXXVIII nuncupavit. In oppido *Lorca* docuit apud Collegium Sancti Ioseph.

3. Lucianus Paulus, religiosus, in saeculo Germanus García García. Primam vidit lucem in loco v. *Quintanilla de la Mata*, ex provincia et Archidioecesi Burgensi, die XXVIII mensis Maii anno MCMIII. Ad novitiatum admissus est die VII mensis Septembris anno MCMXX. Prima annua vota suscepit die IX mensis Iulii anno MCMXXI et perpetua die XXVI mensis Augusti anno MCMXXVIII. Postquam in variis docuerat Institutis, mense Octobri anno MCMXXXIV in oppidum *Lorca* missus est.

4. Stanislaus Victor, religiosus, in saeculo Augustus Cordero Fernández. Natus est die VII mensis Octobris anno MCMVIII in oppido *Bustillo de la Vega*, ex provincia Palentina et dioecesi Legionensi. Die XIV mensis Augusti anno MCMXXVI inter Fratres Scholarum Christianarum exceptus, temporaria vota die XV mensis Augusti anno MCMXXVII et perpetua die XXX mensis Augusti anno MCMXXXIII emisit. In Collegio loci *Lorca* magistri munus exercuit.

5. Laurentius Iacobus, religiosus, in saeculo Aemilianus Martinez de la Pera y Alava. In loco *Huerta de Arriba*, ex provincia Alabensi et dioecesi Victoriensi, habuit ortum die VIII mensis Augusti anno MCMXIII. In novitiatum admissus die IV mensis Augusti anno MCMXXIX, prima annua vota nuncupavit die XV mensis Augusti anno MCMXXX. Et magistri munus implevit in loco *Lorca* ab anno MCMXXXIII.

Presbyter, cappellanus apud Institutum Fratrum Scholarum Christianarum, eodem loco dieque interemptus est:

Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus, qui *Totanae*, ex provincia Murciae et dioecesi Carthaginensi in Hispania, natus est die IX mensis Augusti anno MDCCCXCIV. Murciae Seminarium Sancti Fulgentii ingressus est die XXVII mensis Septembris anno MCMIX. Die autem XXI mensis Maii anno MCMXXI sacro presbyteratus ordine auctus est, cui in oppido *Lorca* creditum est munus cooperatoris in paroecia Sancti Iacobi Apostoli. Cappellanus insuper, ut diximus, exstitit apud Institutum Fratrum Scholarum Christianarum nec non moderator Societatis Filiarum Mariae.

Labentibus annis, quandoquidem fama martyrii tam quinque religiosorum quam presbyteri magis in dies diffundebatur, Episcopus Carthaginensis in Hispania Causas incohavit beatificationis seu declarationis martyrii, instruens Processus Ordinarios inter dies XXVII mensis Octobris anno MCMLVIII et XVIII mensis Martii anno MCMLIX, uno processu coniunctos vigore Decreti Congregationis de Causis Sanctorum. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die XXV mensis Februarii anno MMVI nec non Purpurati Patres et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die XIV sequentis mensis Novembris agnoverunt martyrium Venerabilium Servorum Dei. Servatis rite de iure servandis, Nosmetipsi Congregationi de Causis Sanctorum praecepimus ut Decretum super Martyrio die XVI mensis Decembris anno MMVI promulgaret et statuimus ut ritus beatificationis Romae perageretur die XXVIII mensis Octobris anno MMVII.

Hodie igitur in foro ante Basilicam Sancti Petri, ingenti adstante catholicorum Pastorum et Christifidelium multitudine ex Hispania aliisve nationibus, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Martyres Ovidium Bertrandum et IV Socios nec non Presbyterum dioecesanum Iosephum Mariam Cánovas Martínez.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeri-

tensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Ioannis Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitarum a Caritate, necnon LXI Socii et Sociae;

Bernardus Fábrega Julià, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici;

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero Archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunza Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arriola Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum

appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Tantam admirantes horum spectabilium virorum heroicam alacritatem qui pro Christi fide vitam deponere non dubitarunt, eorum patrocinium ferventer invocamus in adiutorium totius Ecclesiae ac praesertim illorum christifidelium qui nostra aetate ob nomen Domini Iesu persecutionem patiuntur; hortamur insimul omnes ad Christianas virtutes, praesertim fidem et in bonis operibus explendis constantiam, pie imitandas.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque deinceps esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris anno Domini MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

*De mandato Summi Pontificis*
THARSICIUS card. BERTONE
*Secretarius Status*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 95.267*

V

**Venerabili Dei Servae Caelestinae a Matre Dei (quae saeculari nomine Maria Anna Donati appellatur) caelitum Beatorum tribuitur dignitas.**

BENEDICTUS PP. XVI

